



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis  
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et  
Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in  
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus  
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum  
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque  
omnibus in utroque Foro ...

Tractatus Primi Pars I. de Servitutibus Prædialibus, Usufructu, & utroque  
Retractu, Pars II. de Emphyteusi, Pars III. de Locatione & Conductione

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. LX. Romana domus in burgo. De præscriptione juris emphyteutici, An  
& quando intret, ita ut tertius possessor, concurrentibus præscriptionis  
requisistis, reddatur tutus à devolutione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74102](http://urn:nbn:de:hbz:466:1-74102)

erat ad favorem hæredis in hoc possessorio respondendum esse.

De meritis autem seu justitia negotii principalis non fuit formiter actum, sed solum incidenter ad dictum effectum dignoscendi turbiditatem, quod-

<sup>13</sup> que casus devolutionis non esset omnino certus & clarus, ideoque maturum judicium pro veritate desuper efformari non potuit, Plura enim hincidè urgere videbantur, ex quibus causa redditur dubia, atque pro meo iudicio honesta concordia digna, quamvis decisio aliquam Rotæ inclinacionem ad favorem actoris pro qualitate hæreditaria ostendere videatur; Ecclesiæ siquidem assit regula, quod in emphyteusi ecclesiastica veniunt solum hæredes sanguinis, non autem extranci ex plene collectis per Andreol. controv. 378. & in alia Mediolanen. apud Merlin, decis. 383. & generaliter decis. 429. par. 9. 209. par. II. Et quamvis in decisione ponderetur clausula *in perpetuum*, ut eam faciat hæreditariam juxta decisionem 346. Carill. n. 3. & in aliis in eadem causa, de qua apud Carill. coram Merlin & Peutingerio, cum collectis per Adden. ad decis. 26. par. 3. rec. num. 15. & in hujus causa decisione, ubi discurrit hinc inde, Attamen dicta clausula utpotè compatibilis cum restrictione ad successores sanguinis, in quibus bene remanet operativa, tollendo illam restrictionem ad tertiam vel quartam generationem, quæ regulariter cadit in emphyteusi ecclesiastica, hunc effectum non inducit, ut in specie plenè advertitur in allegatis decis. 427. par. 9. & 209. par. 10. Est bene verum, quod deservit pro uno ex adminiculis, aliis in idem concurrentibus.

Pro altero adminiculo qualitatis hæreditariae ponderatur dictum pactum francandi ex deducit is per Rotam decis. 633. n. 6. par. 4. rec. tom. 3. quæ est ead em apud Merlin. decis. 210. & addi possunt firmata in Placentina, de qua supra disc. 29. Sed hoc adminiculum, etiam cum sensu veritatis, dicebam esse nimium leve & equivocum, dicta enim decisio, sequendo decisionem 392. Franchi, ut plures advertitur suprà in præcedentibus, ac etiam *sub titulo de servitutibus ad materiam retractus*, percutit casum, in quo redemptio seu affrancatio conventa sit in certa quantitate ab initio, puta ad tot pro centenario, ita enim emptionis & venditionis magis quam emphyteusi contractum redolere dicitur, secus autem in præsenti, dum pactum continebat solum quamdam permutationem de una specie in alteram quod non adversatur emphyteusi, quæ in re permute rectè continuare potest, ut advertitur supra in Romana devolutionis seu locorum montium decis. 36.

Demum ponderatur contraria observantias quod scilicet Rector consensum accommodasset alienationi in extraneum factæ per primum concessionarium in illos de Osis, & ab istis in illos de Ruschis ex deducit is apud Carill. dicta decis. 246. nn. 4. & apud Celsum decis. 15. n. 11. quod motivum esset satis considerable, quando non constito de prima investitura, ageretur de indaganda natura emphyteusi, secus autem ubi illa habetur, quam Rectorum inadvertentia vel factum corrumpere seualterare non potest, juxta firmata in pluribus decisionibus editis in Romana domus in Silice, de qua supra disc. 36. Negari tamen non potest istud esse unum ex adminiculis cum aliis coniungendum, prout & alterum in decisione ponderatum, quod domus de tempore concessionis esset penè dituta & modici

valoris postmodum constructa, & effecta notabilis valoris, ideoque certum est casum remanere dubium.

## R O M A N A

### DOMUS IN BURGO

P R O

HIERONIMO MAINERIO

C U M

CONVENTU TRANSPORTINÆ.

*Casus pendet in Rota.*

De præscriptione juris emphyteutici, An & quando intret, itaut tertius possessor, concurrentibus præscriptionis requisitis, reddatur tutus à devolutione.

S U M M A R I U M.

- <sup>1</sup> *F* *Aeti series.*
- <sup>2</sup> *F* *Contra Ecclesiam concurrentibus justo titulo, & bona fide prescribitur per spatum quadrangulum.*
- <sup>3</sup> *H* *Habens possessionem centenariam potest allegare quemcumque titulum de mundo metiorem.*
- <sup>4</sup> *D* *Declaratur se est tertius possidens rem tanquam allodium & liberam, secus se possederit tanquam fideiale, seu emphyteuticam.*
- <sup>5</sup> *Q* *Quod fideiarius, vel emphyteuta, etiam per milie annos non prescribat contra dominum.*
- <sup>6</sup> *D* *Declaratur secus esse in tertio cum bona fide possidente rem tanquam liberam & allodium.*
- <sup>7</sup> *M* *Multum ad præscriptionem suffragatur scientia, & approbatio domini directi.*
- <sup>8</sup> *D* *De Constitutione 157. Urbanæ VIII. tollente bene placitum apostolicum præsumptum.*

D I S C. XL.

**D** E anno 1541. Conventus S. Mariae Transportinæ concessit in emphyteusim Carolo Saraceno & Anna Uxoriam tertiam generationem domum in Burgo penè collabentem, quam anno de 1550. Carolus vendidit Thoma Dionysio ementi pro se, hæredibus & successoribus, qui Dionysius de anno 1551. sub narrativa possidendi & etiam domum jure proprio & in perpetuum, eam vendidit Joannini Andreae Cavagna, ementi pro hæredibus & successoribus quibuscumque, cuius filius de anno 1588. eam fatis melioratam pretio scutorum 700. vendidit Annibali Petrasanctæ pariter ementi pro se hæredibus, & successoribus quibuscumque in perpetuum sub assertione, quod eadem domus esset libera & franca ab omni onere, excepto censi seu canone ducat. Octo de carolenis ad favorem dicti Conventus, dictisque omnibus alienationibus respectively cum speciali notitia instrumentorum defupex

desuper editorum, consensum præstitit dicitur Conventus, à quo nuper de anno 1667. prætendente per terminationem trium generationum factum esse locum devolutioni, institutum fuit judicium manutentionis coram A. C. contra Hieronymum Mainerium dicitur Petrasancta successorem, obtinendumque mandatum de manutendo, à quo interposita appellatione & commissa per Signaturam causa in Rota coram Carpina cum facultate manutendi quem de jure, datoque dubio ex ipso rescripto resultante, An & cui dandum sit mandatum de manutendo, illoque proposito sub die 23. Januarii 1669, nulla capta resolutione dictum fuit, quod videretur de bono jure, & in hoc statu pendet.

In dicta igitur disputatione habita occasione possessorum, ac etiam deinde informationibus super præparatione futura disputationis in bono jure, ultrà ea quæ concernebant controversia domus identitatem, an scilicet esset necnè illa, quæ continetur in dicta prima concessione anni 1541. quod ex hac parte per causæ Patronum controvertebatur, multaque ab eo ponderabant diversitatis inditio & argumenta, super quibus utpote in puro facto consistentibus, nullæ vel modica sunt Advocatorum partes; Præcipuum motivum, in quo ego scribens pro Hieronymo reo convento insistebam, etiam cum aliquo sensu veritatis, rebus tamen in hoc statu permanentibus, & nisi alia ignota facti circumstantiae concurrenter, confitebar in præscriptione libertatis istius domus tanti possessione tanquam liberæ & cum solo onere dictæ annua præstationis, quæ non controvertebatur, dum computato tempore possessionis cum bona fide, & justo titulo omnium auctorum mediatorum & immediatorum rei conventi, & qui domum tanquam liberam, ac perpetuā transitoriam ad quoscumque emerunt, ac respectivè possederunt cum iustis titulis emptionis ut supræ, concurrebat tempus continuatum annorum 115. cum tamen existentibus aliis requisitis, ne mē titulo, bona fide, & re de sui natura non vitiosa, sed præscriptibili, etiam in bonis Ecclesiæ, sufficiat tempus quadragenarium, in hoc differente Ecclesia à privatis, quod cum iustis, concurrentibus dictis aliis requisitis, sufficiunt decem anni inter præsentes, & viginti inter absentes, ad communiter notata in cap. cum olim de censibus, & in terminis emphyteuticis Fulgin. tit. de solutione canonis quæst. 1. num. 253. ubi ceteri.

Clarius verò quoniam, nedum accedebat dictum longissimum tempus quadragenarium, sed etiam centenarium & ultra, quod cessare facit omnem quæstionem, Tum quia istud tempus sufficit, etiam ad præscriptionem contra Ecclesiam Romanam, multomagis & absque dubio contrà Ecclesiæ inferiores; Tum etiam quia habens centenariam, quæ sub quæstione est, an sit major 3 immemorabilis, vel æquipolleat, allegare potest quemcumque titulum de mundo meliorem absque necessitate illum iustificandi ex deducis per Menoch. cons. 1023. num. 3. & 4. Rot. apud Merlin. decis. 593. num. 28. & habetur in Pisauren. Molendinorum sub tit. defensis disc. 3. ubi quod hoc motivum in Camera reputabatur solidius ad beneficium hæreditis feudatarum allegantis libertatem quorundam bonorum, Quod tamen in eo casu probabiliter suas patiebatur difficultates, dum agebatur de possessione ejus, in quo concur-

rebat etiam titulus & possessio jure feudi, ex ibi 4 latius ponderatis; Hæc autem difficultas in præsenti non cedebat, dum agebatur de tertio possesso habente causam à duobus aliis tertii possessoribus sub bona fide & titulo istam rem tanquam liberam & allodium possidensibus.

Hinc proinde advertebam non intrare quæstionem, an feudatus vel emphyteuta ex quocumque quantumvis diuturni temporis lapsu præscribat necnè contrà dominum, & in qua negativa probabilius videretur, etiam si possesso sit per mille annos, ut per Bald. §. si quis demanso de controv. investit. nos. 12. & alios de quibus Rosenthal. de feudi cap. 6. conclus. 82. Bellon. jun. caus. 44. num. 67. & sequen. Fulgin. dicto tit. de solut. canonis quæst. 9. num. 5. & per totum, & in dicta Pisauren. molendinorum sub tit. defensis disc. 3. quoniam id procedit cum possidente in eam investitura jure feudivel emphyteufis, dum ipse titulus causat malam fidem & impedit præscriptionem, fecus autem ubi agitur de tertio habente explicitum bonæ fidei titulum importantem bonorum libertatem, ut ita distinguendo inter emphyteutam ejusque successores, ac tertium possessorum sub diverso titulo habetur apud Fulgin. dicta quæst. 1. num. 253. & quæst. 9. num. 7.

Omnisque difficultas in proposito cessare videbatur ex dicta circumstantia, quod præfatis alienationum instrumentis, in quibus domus narratur libera & franca, & ad quoscumq; hæredes transitoria, assensum præstitit idem Conventus, unde ad duo inferebam, Primo ad confirmationem bonæ fidei acquirentium & respectivè possidentium, dum ipsi signari, quod & quale jus iste Conventus habet, cuius ratione hac annua præ statio sibi solvatur, ita rationabiliter cum optima fide credere potuerunt eorum authori afferenti rei libertatem & alienabilitatem, dum idem qui interessè habere poterat, talem afferentem approbavit; Et secundò, quoniam ita tollitur excusatio ignorantia, quæ ubi probabilis est, præbet causam restitutioonis in integrum adversus præscriptionem, (licet neque id suffragetur, ubi accedit centenaria), dum ita Conventus dicere non potest se fuisse ignorarum hujusmodi alienationis & possessionis tanquam de re libera, seu credidisse quod durantibus generationibus continuaretur in possessione jure investitur; Et quidem aliæ dicendo esset canonizare quamdam speciem dolii & collusionis inter dominum, & emphyteutam in præjudicium tertii utriusque fidem sequentis, quia deceptus remaneret, atque ut vulgo dicitur, positus in medio, potissimum quia ex preti quantitate constabat eum emissæ rem pro quanti valebat tanquam liberam.

Deducebatur etiam in idem Constitutione 157. Urbani VIII. nuncupata de præjudiciali bus, qua tollendo beneplacitum præsumptum, aliæ ex observatione longissimi temporis resultans, adhuc præservat centenariam, quam esse computandam usque ad tempus mortis litis, non autem ad illud dictæ editæ Constitutionis, insinuatur supræ in Lunen. Sarzanen. disc. 39. ac habetur auctum in sua materia sub titulo de Alienationibus; Verum id deducebatur ad superabundantium, & ad comprobationem centenaria, sed nulla superat necessitas assumendi hanc inspectionem cadentem quo ad eum, qui causam habet à Prælato seu ad-

Card. de Luca de Emphyteusi Pars II.

ministratore Ecclesie, quem scit prohibitum alienare sine solemnitate & causa, unde indiget hujusmodi presumptione ob juris resistentiam alias militarem, male fidei induxitivam, quod in praesenti non cedebat, cum possessores haberent causam à privatis, & tanquam de re privata indifferenti, & liberæ alienationis, factum verò Con-

ventus considerabatur tanquam species recognitionis veritatis & bonæ fidei, seu attestacionis authenticantis assertionem possessoris.

Et proposita causa sub die 28. Junii 1669, prodit resolutio Hieronymo favorabilis, constare scilicet de ejus bono jure, atque resolutio, reflectendo et jam ad veritatem visa est probabilis.



# INDEX

## RERUM NOTABILIUM,

### Quæ continentur sub titulo de Emphyteusi.

#### ACQUIRENS, ACQUISITIO.



RIMUS acquirens non dicitur qui renovationem obtinet de jure antiquo per speciem continuationis debitam, discut. 4. numero 4.

Dici non potest renovatus, quia renovatio non importat jus novum sed antiquum, ibid. num. 6.

Amplia quamvis renovatio continet verba novam concessionem importantia, dis. 10. sub n. 2. Sub amplia etiam aliqua summa fuerit in renovatione soluta, ibid. n. 4.

Item neque is qui obtinet in vim transactionis, quia dicitur obtainere jure antiquo per transactionem confirmato, ibid.

Dicitur, qui causa fuit, ut bona in domum seu linéam ingredierentur, & non est comprehensus in investitura ab eo initium habente, dis. 10. n. 2. in princ. & in fin.

Primus acquirens successoribus præjudicare non valet, nisi acquisitio fuerit titulo oneroso, dis. 10. num. 3. & dis. 18. num. 4.

Ad effectum tituli onerosi requiritur, quod solutum præponderet saltem medietati valoris rei, ibid. n. 4.

Dicta conclusio, quod primus acquirens titulo oneroso præjudicet aliis, restringitur ad patrem contra filios, d. 18. n. 9. in fin.

Extenditur etiam ad extraneos habentes liberam facultatem disponendi resultantem ex clausula ad habendum, d. 18. n. 9. in fin.

In concessionibus etiam pacti & providentia primus acquirens titulo oneroso præjudicat successoribus, d. 32. n. 2.

#### ACTUS.

Actum esse ipso jure nullum vel habere implicitum statum validitatis quid importet, vide fol. 12. d. 1. num. 22.

#### AGNATIO.

Agnationis & cognitionis differentia sublata est

per jus novissimum, d. 3. n. 18.  
Quando tamen agnatiæ qualitas desideretur ad effectum renovationis, vide d. disc. 3. n. 27.

#### AFFRANCATIO

An & quando cesset post incursum caducitatem, vide dis. 39. n. ult.  
Affrancandi pactum, quando corruptam solitam naturam Emphyteusis, cumque faciat hereditarium, d. 59. n. 15.

#### ALIENATIO

Bonorum Ecclesiasticorum requirit solemnitatem, & causam, nisi aditum solitum alienandi, d. 20. n. 4. Alienandi facultas, seu conventio strictè est intelligenda dicto disc. 20. n. 15.

Alienatio bonorum emphyteuticorum in extra-

neos fieri potest vigore concordia Rayennaten.

disc. 24. n. 3.

Etiam de jure fieri valet, ubi investitura non est pa-

cti & providentia, neque ad certas personas re-

stricta, dicto d. 24. sub n. 5. vers. licet enim.

Emphyteusis requiritur Domino parit devolutio-

nem, d. 33. n. 5.

Facta reservato illius beneplacito non causat cadu-

citatem, ibidem n. 5.

Requiritur ad dictum effectum devolutionis scien-

tia prohibitionis, disc. 36. num. 5.

Maxime si alienatio modifcata fuit à pacto

redimendi, ibidem.

Sub alienationis vocabulo in actibus permisis, &

sic favorabilibus comprehenditur etiam disposi-

tiō quilibet per ultimam voluntatem; In ac-

ibus verò prohibitis, & sic odiosis, non compre-

henduntur dispositiones per ultimas volunta-

tes, d. 28. n. 10.

Prohibita ad certos casus, & personas limitate cen-

sunt in aliis permissa, discut. 29. numer.

3. sub §. 2.

Aliena-